



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **INTER SACRAS** PAROECIALE ET ABBATIALE TEMPLUM
BEATAE MARIAE VIRGINIS
IN CAELUM ASSUMPTAE DICATUM, QUOD IN URBE PRAGA EXSTAT,
AD BASILICAE MINORIS GRADUM DIGNITATEMQUE EVEHITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Inter sacras aedes
Pragae, clarissimae urbis, eminere novimus paroeciale et abbatiale templum Beatae Mariae Virgins in caelum
Assumptae, in quo, ornamentis artisque operibus decoro, et Deipara Virgo impensa pietate colitur et iam a XVII saeculo
pie servatur corpus Sancti Norberti, Archiepiscopi, Conditoris Ordinis Praemonstratensis atque Bohemiae Patroni. Qua
re, cum Venerabilis Frater Miloslaus VIk, Archiepiscopus Metropolita Pragensis Ecclesiae, litteris die V mensis
Septembris hoc anno datis, etiam nomine Abbatis Generalis omniumque sodalium Ordinis Praemonstratensis necnon
cleri populique sui petiverit ut idem templum titulo ac dignitate Basilicae Minoris honestaremus, Nos, peculiare dilectionis
Nostrae documentum cupientes praebere, enixis precibus obsecundandum esse putamus. De sententia igitur
Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, quam ratam habemus, Apostolica Nostra usi potentate,
harum Litterarum virtute perpetuumque in modum templum, de quo mentionem fecimus, titulo ac dignitate Basilicae
Minoris decoramus, cum omnibus iuribus et liturgicis concessionibus, quae sacris aedibus hoc nomine insignitis rite
competunt, us tamen servatis quae iuxta Decretum «De titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno
MCMLXXXIX editum, servanda sunt. Ceterum vota facimus ut auctus tam antiquae ac nobilis ecclesiae honor bene
vertat quoque in spirituale bonum omnium fidelium qui in eam ingredientur Dei auxilium ac validissimum Virginis Mariae
et Sancti Norberti patrocinium rogaturi. Has denique Litteras sive nunc sive in posterum ratas esse volumus, contrariis
quibuslibet non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die VI mensis Novembris, anno
MCMXCI, Pontificatus Nostri quarto decimo.* ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1991 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana